

Alte Drucke

Antiqvissima Theologia Positiva Primi Theologi, Adami Protoplasti, Juxta Revelationem Paradisiacam Jehovæ Elohim, Ex Genes. III. Per Dei Gratiam, ...

Deutschmann, Johann

Wittebergæ, [1694]

Vorwort

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-174445

SERENISSIME
ELECTOR,
HEROS POTENTISSIMÉ,
DOMINE GRATIOSSIMÉ,

D*El Paradisus felicis-*
mus est Omnium Bonorum
Hortus, fecundissimus Omni-
um Ordinum, atque Statuum
Humanorum Ortus, & utilis-
simus omnium in Humano Ge-
nere Jurium Publicorū, omni-
um Officiorum, & Privilegio-
rum Exortus. Omnia nunc alia prætermittere placet *[us*
HOMAGIORUM publicorum per Nostram Patriā, illustri
nunc Occasione, respicere decet. Hoc enim tempore,

SERENISSIME PRINCEPS ELECTOR,
AUGUSTE PATER PATRIÆ, CLEMENTISSI-
ME DOMINE, STATOR ACADEMIÆ FELI-
CISSIME, primum *Augusta Præsentia* Tuis *Subditis*
ades, & HOMAGII *Fidelitatem*, ab Ordinibus aliis
non modo, sed etiam ab *Academia Proceribus*, & *Ci-*
vibus, indulgenter urges, TUÆQUE MAJESTATIS
LUMINE cuncta *loca*, cunctos *Subiectos*, & cuncta
rerum, & *actionum* diversissima genera, ceu *Divino*
splendore, reple. Sit *Felix*, & *Faustum*, sit *Auspicatum*,
& *Augustum*, sit *Fructuosum*, & *Diuturnum*, ex *DEI*
Gratia, præsens *Homagium*! Sit FRIDERICI,
sit AUGUSTI, Fortunatissimum *Homagium*, pa-
cis *beneficiis*, & *privilegiis*, AUGUSTUM, &
AUGUSTIS *incrementis*, ac *Ornamentis*, indefi-
nenter *pacificum*! Dum igitur *Homagium* omnes *Tuba*
sonant, & *resonant*, *Universi Subditi Clementiam Tu-*
am Augustam spectant, singuli *Debitum Homagii san-*
ctissimum præstant, *Theologi* quoque MAJESTATEM
HOMAGII suis *Meditationibus sacris* religiosa vene-
ratione celebrant. *Jus Homagiorum* certe non huma-
num, sed *divinum*; non *topicum unius loci*, vel *regionis*,
sed *Catholicum omnium regnorum*; non *hodie*, vel *nu-*
dus tertius natus, aut *seculis superioribus* progna-
tum, sed à *primis rerum exordiis* illud fuit *ulitatum*,
Jus Homagiorum vera, *supremaq;* MAJESTATIS *Jus*
est, illudque neutiquam *humane*, vel *Electiois*, vel
coactio-

coactionis, sed divinae traditionis, & constitutionis
Jus est. *Paradisus est primum Homagiorum Thea-
trum, Divinum Homagiorum Territorium, Opti-
mum Homagiorum spectaculum. Ex hoc non incerta
conjectura, sed indubitata scientia colligimus, Jus
Homagiorum, & ratione primordialis originis, Divi-
nissimum, & ratione naturalis obligationis, ac obser-
vationis, universalissimum, & ratione durationis,
antiquissimum esse. Sermone prolixo, solidoq; vel
authenticarum Tabularum testimoniis fundato,
hæc prosequi foret in proclivi, si modo justam de
his, & aliis, commentationem scribere vellem. Sed
coram AUGUSTIS, MAGNISQUE
PRINCIPIBUS pauca verba sufficiunt. A-
dam primus Homo, Princeps Universitatis, Domi-
nus omnium Creaturarum, Augustus Mundi Posses-
sor, primum Homagii Spectaculum, & illustre primo-
rum Homagiorum speculum est. Ipse, tanquam DEI
VASALLUS, fidelitatis Homagium, Regi Regum, &
Domino Dominantiū, Cæli, terræqve Monarchæ, Deo
Glorioso, primum Homagiū religiosa devotione præ-
stitit, & Idem, tanquam Vice Rex Jehovæ, Terrestrisq;
Gubernator, & Creaturarū omnium constitutus Ad-
ministrato, ab Inferioribus accepit. Homagiū, quod
ipse Deo Creatori religiosè præstabat, in Historia Cre-
ationis evidenter expositum; nec Homagium, quod
ipse met,*

ipfemet, juxta *Superioris voluntatem*, à creatu-
ris glorioſè ſuſcipiebat, in *Hiſtoria Paradifi* negle-
ctum. Prius *Homagium* peperit *Homagium* poſte-
rius. Adam, dum *Creatoris*, ut *Superioris*, *Vaſallus*
erat, & ex *Senatus Conſulto* divino, cunctorum in-
feriorum *Supremo Præſectus*, & *Dominus*, & *Jehovæ*
Plenipotentiario, eſſe debebat Prius *Homagii* Homo,
ceu *Mundi Princeps*, præſtitit, dum *Regis Creatoris*
Imaginē, & *Principalem Autoritatē*, vel *Dei Majeſtatē*
ad arbitrium *Superioris* retulit. Deus enim *Crea-*
tor, & *Supremus Imperator*, *Jus Domini*, ſimulq; *jus*
Homagii, creatis Hominibus, ceu creaturarum Prin-
cipibus, juxta *Moſen Gen. I. 28.* per ſingularem *Bene-*
dictionem, verbis *Majeſtate* pleniffimis conceſſit.
Nam *benedixit* Hominibus DEUS, inq̄uens: *Creſcite,*
& multiplicamini, & replete terram, ſubjicite eam
vobis, & DOMINAMINI piſcibus maris, & *volati-*
bus celi, & uniſverſis animantibus, quæ moventur
ſuper terram. Poſterius *Homagium* Homo *Princeps*
à Creaturis accepit, quod Deus ipſe, tanquam Sum-
mo *Præſes*, & *Director*, promoveri voluit, ſicut *Moſes*
vetuſtiſſimus *Hiſtoricorum* hanc etiam *Hiſtoriam*
Solennis Homagii memorię prodidit, *Gen. II. 19.* Do-
minus Deus *Formatis* de humo cunctis animantibus
terræ, & *uniſverſis volatilibus celi*, adduxit ea ad
Adam, ut videret, quid vocaret ea. Omne enim,
quod vocavit Adam animæ viventiſ, Ipſum eſt *Nomen*
ejus,

ejus. Plana satis, plena satis Homagii præsentis Historia
prima, sed illustris cunctorum Homagiorum norma
& forma, viva typographia, vel Idea. Nam Archi Ma-
reschalli partes Ipsemet Jehova Elobim suscipiebat,
& expediebat. Consistebat autem Historia Para-
disaica Homagii, non tantum in Juribus Majestatis,
ratione Principis Hominis, qui citra dubium princi-
pem inter omnes creaturas locum possidet; sed et-
iam in Juribus fidelitatis, quæ totus Creaturarum
Ordo Principii suo, divinitus Eidem Præfecto, I. Electo,
debet. In Jura Majestatis, Homini concessa, modo
nullatenus inquirere volumus. Sed paucis jura tan-
tummodo fidelitatis, & subjectionis, allegabimus. Ad-
est hic, ratione jurium fidelitatis, solennis Creaturarum
convocatio, quæ non tam externis mandatis, Princi-
palibus Intimationis Literis, quàm internis motibus na-
turalibus, apud creaturas fiebat: Adest præterea so-
lennis creaturarum Congregatio, dum Creaturæ non
modo convocantur ad Homagium, sed etiam ad Sy-
nodum Homagicam, per certos, eosque distinctos Or-
dines, congregantur. Ordinis est Deus, non Confusio-
nis, I. Cor. XIV. 33. congregatas igitur creaturas ordine
disponit, & in Ordines dispositas Homagii Synodo Pa-
radisaica sistit. Producit igitur Ordo cunctorum
Animalium, tum in Ordine cunctorum animalium
terrestrium, tum in Ordine cunctorum Volatilium,
& in his generalibus Ordinibus varix Clases Specia-
les

les reperiabantur, quas in suis Regibus, & Ducibus, & subditis Gregibus, Natura prudenter ordinavit. Adest solennis Creaturarum, ceu subditorum, coram Domino Presentatio, dum ipse Jehova Elobim cunctos Ordines animalium terrestrium, & volatilium in medium produxit, in paradisum, velut Homagii Theatrum, introduxit, & ad ipsum Hominem, velut Homagii Dominum, deduxit, atque sic eos, velut Homagii Candidatos, adduxit, ut officia fidelitatis susciperet, & obsequia subjectionis promitteret. Adest solennis, sed brevis Homagii delineatio, & Ejus ad finem destinatio: nam propterea Jehova Elobim Ordines Creaturarum ad Adamum adduxit, ut videret, quid vocaret, & ad quem finem istos subditos destinaret. Oblati sunt igitur Ordines Animalium ad visionem, ut Adam, tanquam Rex, & Princeps, eos clementissimis oculis videret, ipsi quoque suum Principem futurum subjectissimis oculis reverenter intuerentur: Oblati praeterea sunt ad cognitionem, ut nim. accurate Dominus Hic, & subditos ipsos, & eorum mores cognosceret, & prudenter hanc cognitionem ad futuram gubernationem dirigere posset: & ipsi quoque notitiam Principis haberent, & ad nutum ejus se componerent: Oblati sunt ad susceptionem, ut nim. Adam, ceu Princeps, hos subditos suos admitteret, & eorum Inspectionem semper gereret. Oblati sunt ad subordinationem & subjectionem, quia vere jure subjectionis ei subordinati fuerunt: Oblati sunt

sunt ad *omnem fidelitatem*, dum ei, tanquam
Domino, fidelitatis Homagium in omnibus
præstiterunt, quamdiu Supremi Creatoris in gra-
tia permaneret. Oblati sunt ad *ordinatam distin-*
ctionem, ut per accurata Nomina distinctas in-
classes dividerentur: Oblati denique sunt ad
Nominum impositionem, dum & Nomina, & No-
minum insignia, vel officia, cum aliis privilegiis,
non aliunde, quam ab Adamo, Principe suo, sunt
adepti. Pro cunctis his, & aliis, quæ nunc bre-
vitatis ergo producere nolumus, beneficiis, atq;
privilegiis, offerebant *Creaturarum Ordines*, in
Homagio solenni, seipsos, omnes suas proprietates
& facultates, suam vitam, opera sua, foetus suos
futuros, cum omnibus obsequiis, atque debitis,
quæ rursus multis explicari possent, si justas hic
commentationes scribere vellem. Neque mo-
do pluribus Eorum, quæ circa *Paradisiacum Ho-*
magium dicta sunt, applicationem adornare li-
cet, quæ certe convenientissima foret, & evi-
dentissima. *Paradisus* enim admirandum est
totius *Mundi Compendium*, fecundissimum o-
mnium *Hominum*, & *animalium*, *Seminarium*,
accuratissimum omnium in Humano Genere
Statuum, & *Ordinum Promptuarium*, divinissi-
mum omnium *Humanarum actionum*, & expe-

B

ditio-

ationum Principium. Et Deus noster Idem semper est. Idem semper est in suis divinis Decretis, idem in suis verbis, idem in suis institutis, idem in suis Factis, & sic idem in suis Homagiis, vel Suorum Ministrorum, Summorum Principum, & aliorum Magistratum, Privilegiis. Remotius quidem, & obscurius paulo fuit hoc in Animalium Ordinibus Homagiorum initium. Nulli siquidem homines alii, præter Adamum, illis temporibus extabant; nec igitur Homines Exordium Homagiorum facere poterant. At si Commentarios Historie Paradisiacæ, Libros Canonicos Vereris testamenti, tanquam Authenticas Regiminis divini Tabulas, plenius evolvere, sive revolvere vellem, non contemnenda Politicorum Homagiorum fundamenta, simulq; probatissima Vinculorum istorum Exempla magno numero producere possem, cum illa, tam Gentilium Regna, quam Israeliticæ Reipub. Formæ nobis offerant. Sed transcant ista!

TIBI SERENISSIME, atq; POTENTISSIME
PRINCEPS, ELECTOR, AC DOMINE,
DOMINE FRIDERICE AUGU-
STE, DOMINE GRATIOSISSIME, JEHO-
VA ELOHIM, DOMINUS COELI ET TER-
RÆ, Subditos tuos in Homagii Paradisum hoc
tempo-

tempore deducit, JURA DIVINÆ MAJE-
STATIS in AUGUSTUM CAPUT TUUM
exponit, & à *Tuis Homagium subjectionis, & fide-*
litalis reposcit. Lætatur *Academia* Tua modis
omnibus *in Domino*, sibiq; vehementer gratu-
latur, quod ex nutu jussuq; divino, TIBI, PRIN-
CIPUM SUMMO, ELECTORI MAXIMO, PA-
TRI PATRIÆ OPTIMO, *Fidelitatis* omni-
genæ, *obsequiosæ* pariter *Subjectionis Homagium*
præstare possit. Lætor & Ego, mihiq; viribus
& modis omnibus gratulor in *Solemnitatis Hujus*
Paradiso! *Divinum institutum*, vereque *Pa-*
radisiacum est *Homagium*, & *Divinum Statu-*
tum, atque *beneplacitum* est, SUMMORUM
PRINCIPUM, & *Subditorum*, arctissimum *Vin-*
culum. TUA GRATIA, PRINCEPS, ELE-
CTOR AUGUSTE fruor, TUA *Vocatione*
Nitor, TUIÆ *Conservationis Beneficiis* utor, sub
Umbra GLORIOSISSIMÆ RUTÆ TUÆ fo-
veor, sub POTENTISSIMA TUTELA TUA,
per *Divinam adfistentiam*, in *sacris literis* reli-
giose meditor, & *labores Theologicos* pro men-
tura, quæ cælitus ex gratia donatur, DEO
MEO indefinenter operor. Nunc sub ELE-
CTORIS QUINTI LAUDATISSIMO
REGIMINE, per *DEI Gratiam*, milito, & in
Operibus Theologicis fideliter Eidem servio, DEO

Sit LAUS, & GRATIARUM ACTIO! TIBI
vero PRINCEPS, ELECTOR AUGUSTE, Ho-
magiū fidelitatis *subjectissima devotione* præsto:
TIBI *Me totum* devotissima *subjectione* sisto: TI-
BI meam vitam, meas vires, meas meditationes,
meos Theologicos labores, & omnia, religiosa ve-
neratione sacrare studeo. Quid autem Mune-
ris, pro cunctis Beneficiis indulgentissimis, offe-
ram? Exhibebo Munus antiquum & novum,
divinum & Theologicum, rarum & charum, PO-
SITIVAM THEOLOGIAM ADAMICAM.
Hæc antiquum est Donum, quia Paradisiacum, &
Homagio maxime consentaneum, dum eosdem
cum Homagio primo Natales veneratur: sed li-
cet sit antiquissima hæc Adamica Theologia, iusta
methodo tamen in Ecclesia nunquam est collecta,
I. visa: vetus est donum Divinū hæc Protoplastorū
Theologia, propter revelationem DEI satis pla-
nam, hominibus primis manifestatam; sed re-
cens est Donum Theologicum, dum nec à Pa-
tribus antiquioribus, nec à Theologis recentiorib;
hæc Theologia certa, plenāq; methodo hactenus
est congesta: hinc rarum est donum, nunquam
ita consignatum, nuspiam ita visum; sed charum,
dum abundantissimam doctrinam, antiquissi-
mam fidem, & copiosissimam animarum salu-
tem

tem offert. *Divina hæc Theologia*, quia non alium, quam *Jehovam Elobim* autorem habet: *prima Theologia*, quia primis mundi diebus statim post miserrimum lapsum est tradita: *paradiaci Theologia*, quia *paradisum physicum*, horum voluptatis, clausit, *paradisum mysticū Ecclesie peregrinantis*, & *milantis*, aperuit, *paradisum gloriosum Ecclesie triumphantis* promittit, & fideles ad eum deducit. *Christiana*, vel *Messiana Theologia*, dum *Salvatorem* nostrum, ut *Semen Mulieris*, & *Verum Theanthropum Mediatorem*, cum omnibus *fidei*, *salutisque* *Mysteriis*, complectitur. Respice, PRINCEPS ELECTOR AUGUSTE, munusculum hoc meum *Gratiosissimis Oculis Tuis*: Accipe donum hoc *chartaceum Clementissimis manibus Tuis*, defende pariter illud *Victoriosissimis Gladiis Tuis*! *Prima hæc Adami Theologia Patriarcharum Omnium*, *Prophetarum singulorum*, *Christi*, *cunctorum & Apostolorum*, *Universorum & singulorum Fidelium*, *Veteris*, & *Novi Testamenti*, *Theologia*, vereq; tandem *Lutheranorum Theologia*. TU, POTENTISSIME PRINCEPS ELECTOR, Supremus FIDEI LUTHERANÆ per *Imperium Romanum Defensor*! Donum igitur hoc TIBI PROPRIUM, TUUM PECU-

PECULIUM, TUUM OCULIFERIVM,
GLORIOSISSIMORVM ELECTORVM, &
PRINCIPVM SAXONICORVM *inviolabilis*
Pupilla. *Medulla* fuit hæc *Adami Theologia*
mentis divinæ, quam ab æterno, *mysteriis*, & *ar-*
canis variis, in mente sua *Deus sapientissimus* fo-
vit. Non enim aliunde prodiit in tempore,
quam ex intimis *intellectus divini recessibus*.
Nihil enim Deus Gratosus, quoad *fidem*, &
salutem nostram in tempore patefecit, quod ab
æterno suis *decretis* non constituit. *Pupilla* fuit
hæc *Adami Theologia* jam ab æterno *divinorum*
oculorum, in qua suis divinis oculis Deus omnes
suas *delicias* quæsit, Deus Pater oculis *miseri-*
cordie & *potentie*, Deus Filius oculis *sapientie*,
Deus *Spiritus Sanctus* oculis *bonitatis*, & *benefi-*
centie. *Materia* fuit hæc *Adami Theologia* jam
in *paradiso*, cunctisque temporibus aliis, &
Prophetarum, & *Apostolorum*, *Verbi*, vel *oris divi-*
ni, quia tam in scriptura *Veteris*, quam *Novi*
Testamenti, verbis suis ex ore divino nihil aliud
potissimum, quam *arcana Theologie Mesiane*,
vel *Adamice* proposuit. Hæc *Pupilla DEI Sum-*
mi, sit *Pupilla Tua*, cum sit veræ *Majestatis*, sit
divinæ Voluntatis, sit omnis *salutis*, atq; *Felicitatis*
Pupilla, quæ *præsentis* etiã *HOMAGII pupilla!*
Sit

Sit TIBI GRATUM & ACCEPTVM hoc HO-
MAGIVM, hoc itidem HOMAGII DONVM!
Ego meis *calidissimis suspiriis* ipsum JEHOVAM
ELOHIM, hujus Doni Primum Conditorem,
perpetuum Conservatorem, & supremum De-
fensorem, in adjutorium voco: Sit ille SAPI-
ENTISSIMVS PRÆSENTIS HOMAGII
RRÆSES, & suis *perspicacissimis Oculis* omnia
rectissime disponat! Sit Iple Præsentissimus, &
Prudentissimus TVI REGIMINIS ELECTO-
RALIS PARASTATES, & omnia suis saluber-
rimis *consiliis*, suis *auxiliis* potentissimis, ad for-
tunatos, & exoptatos *eventus* promoveat! Sit
Benedictionis omnis Indulgentissimus Evergetes,
& Cælestibus Benedictionibus adimpleat AV-
GUSTAM VEST. SERENIT. PERSONAM, SERE-
NISSIMAM ELECTORISSAM, & FUTURAM
ELECTORALEM, ad Omnium vota, PROSAPIAM!
FLOREAT, ET CRESCAT DOMUS ELECTORA-
LIS AD SECULI CONSUMMATIONEM!
Augeat omni Benedictione DEUS Benedictionis
ILLUSTRISSIMAM AULAM, OMNIA SENATO-
RUM COLLEGIA, PATRIAM VNIVERSAM!
Cathedræ B. Lutheri REGIMEN VEST. SEREN.
AUGUSTUM, sub *primis auspiciis*, affert rarissi-
mam Benedictione. Tertius nunc labitur, per Cæli
Clementiam, AUGUSTI REGIMINIS Mensis, &
jam

jam hæc *Benedicta Cathedra* vidit, **QUINQUE**
THEOLOGIE LICENTIATOS, & mox hoc ipso
 mense *Quatuor Theologie Doctores* creabit, & in
 Ecclesiæ salutarem usum ablegabit. Descen-
 dit ab **AUGUSTO VEST. SEREN. SCEPTRO**,
 hæc *Benedictio*, *Benedictus* inde Noster *Sacer*
Ordo! Adscendat ex hac *Benedicta Cathedra*
benedictarum precum Intercessio, *intercessio-*
num benedictarum locupletissima virtus, & *ope-*
ratio, & à *Celesti Benedictionis Fonte* *Gloriosissi-*
mæ Benedictionis continuos Fluvios, vel etiam in-
tegra maria, deducat **AUGUSTÆ VEST. SEREN.**
 & **SERENISS. RUTÆ ELECTORALI**, propter *Be-*
neditum Semen, **CHRISTUM JESUM**, *Adamicæ*
Theologiæ copiosissimum Thesaurum! **VIVAT**
FRIDERICUS AUGUSTUS! **VIVAT DEO!** **VIVAT**
SIBI! **VIVAT ELECTORALI RUTÆ!** **VIVAT**
PATRIÆ! **VIVAT ECCLESIE, ACADEMIÆ!** **VIVAT**
BONIS OMNIBUS, & Mihi! Hoc *suis pre-*
cibus argutissimis, & indefinentissimis, à *Pa-*
tre Luminum efficaciter impetrare contendit.
VEST. SEREN.

Ipso **HOMAGII**, Die *Wittebergæ*,
 sub medijs precibus, & lætitijs
 jubilis, D. XVII. Jul. Anno
MDCCXIV.

Devotissimus apud Deum Intercessor,
& subiectissimus servus,

Johannes Deutschmann/D.
 Senior.